

tura quadam progignente. Hunc tamen prætermisit Isidorus.

## CAP. LXVIII.

Nudipedales, & eorum hæresis.



*S T alia hæresis, nudis pedibus i semper ambulantium, eò quòd Dominus dixerit ad Mosem, vel ad Iosue, Solue calceamentum de pedibus tuis. Et quòd Propheta Isaias nudis pedibus iussus fuerit ambulare. Inde ergo hæresis est, quia non propter corporis afflictionem sic ambulant, sed quia testimonia taliter intelligunt.*

I Nudipedibus.) Est & hic error, qui vana superstitione potius, quam hæresis dicendus est, Monachismi fruticatio, & λίχιον, quemadmodum plures alij vel iam à nobis obseruati, vel qui postea notabantur. Fuit enim hoc hominum genus, Monachorum dico, tam nouis, & à communi aliorum Christianorum consuetudine remotis viuendi ritibus addictū, & gaudens, vt in dies iam receptos mutaret, probatos interpolaret, peregrinos induceret, denique nec finem nec modum in variando habitu, colore, gestu, ciborum genere statueret ullum. Inde enim orta sunt tot Monachorum genera, & in quoque genere tot sectæ, & diuortia, qui colore quidem, extērnisque rebus inter se differunt, superstitione autem & falsa, atque adeò impiade operum suorum meritis, opinione sunt omnes inter se iidem, & æquales. Hunc autem errorem, de quo nunc agimus, peperit κακοζηλία, dum illi se

aa ij.